



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Concilivm Mediolanense Vniversale, Ac Reprobavm, In causa Athanasii
sub Liberio habitum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ANNO CHRISTI 355.
 themius collegit, sæpe attestantur. Hæc ex prædictis auctoribus.
 Baron. anno 353. num. 15. vsque ad 23.

CONCILIVM^a MEDIOLANENSE
 VNIVERSALE, AC REPROBATVM,

In causa Athanasii sub Liberio habitum.

Præter synodalem epistolam ad Eusebium Vercellensem scriptam, huius Conciliabuli, æterno silentio & obliuione digni, nihil extat. Epistolam ipsam post notas nostras, nostra hæctenus obseruata methodo, subiungemus.

NOTÆ.

* *Concilium Mediolanense.*] Hoc est illud Concilium, quod occasione promulgati ab imperatore edicti de subscribendo sub pœna exilii condemnationi Athanasii, a Liberio pontifice ad auertendam ab ecclesia imminentem persecutionem duabus legationibus supra habitis fuerat expetitur, & ab imperatore Constantio eo consilio ac intentione concessum, vt trecentos & amplius occidentis episcopos catholicos vno loco congregatos ad condemnandum innocentem Athanasium per vim compelleret, nolentes vero sedibus suis exturbatos relegaret.

Hoc Concilium a quibus indictum, & qua occasione ab imperatore congregatum.

^b *Vniuersale.*] Vniuersale & œcumenicum fuit Concilium, quod permisso Constantii imperatoris a Liberio pontifice est indictum. Ad hoc (orientalibus fere omnibus morbo vel itineris longitudine impeditis, pauci tamen præsentibus fuerunt) Lucifer episcopus Calaritanus, Pancratius presbyter & Hilarius diaconus sedis apostolicæ legati, cum occidentalibus episcopis trecentis & amplius conuenerunt, Arletione & Lolliano consulibus, anno nimirum Christi 355. qui est Liberii pontificis quartus, & Constantii imperatoris decimus nonus. Scribit enim Seuerus lib. 2. exilia episcoporum ex eodem Concilio irrogata prædictis consulibus contigisse. Tyrannidem Conciliabuli Eusebii Vercellensis præuidens, eidem interesse recusauit; per synodicas tamen ab Arianis nomine totius Synodi conscriptas, perque epistolam legatorum pontificiorum vt veniret rogatus, adfuit.

œcumenicum Concilium fuisse probatur. Numerus episcoporum.

Tempus Concilii.

Reprobatum fuisse Concilium, actorum quæ apud Hilarium, Athanasium, & Seuerum supersunt fragmenta euidenter attestantur. Cum enim huic Conuentui, ab ecclesia ad palatium translato, vna cum satellitio adhuc cruentus innoxiorum sanguine præsidet hæreticus imperator, cumque in eo Arianis omnia concederentur, catholicis autem episcopis, suffragiis eorum vetitis, intercisis ac vilipensis, omnia negarentur, parati astarent commentarienses

Concilium hoc reprobatum fuit.

atque expediti lictores, sancirentur non Canones, sed episcoporum degradationes, scriberentur ac subscriberentur exiliorum sententia; cum denique in eodem Ariana procacia, orthodoxorum constantiam & in dicendo libertatem per vim opprimens, nihil non auderet, quis non illi praefixum Concilii nomen iure ademerit, idque tyrannicam potius consultationem, diaboli synagogam, Conuentum malignantium, coniurationem Arianorum, factionem sceleratorum, conspirationem impiorum, ac demum publicorum latronum violentam grassationem appellauerit?

Acta Con-
ciliabuli.

Acta Conciliabuli ab Hilario libello ad Constant. Seuero lib. 2. histor. Athanasio epist. ad solit. descripta, hic summatim recensita haec sunt: Inchoato Concilio in absentia imperatoris adhuc catechumeni, (quippe cui legitimo Concilio interesse non liceret) conuenerant fere catholici episcopi, se omnia, quae postulare Ariani, facturos esse, si Nicænae fidei priores subscriberent: quod cum Valens & Ursacius Arianæ factionis principes ac nebulones relapsi, fieri posse negarent, & paulo post epistolam imperatoris omni prauitate & falsitate refertam in ecclesia legendam proposuissent, populus magno cum clamore eam, quasi veritati contrariam, est auersatus. Vnde illi veriti populum, ab ecclesia in palatium transcentes, Concilium in sæculare iudicium commutarunt. In quo dum Valens & Ursacius Athanasii nouas calumnias, supra in notis Romani Concilii recensitas, atque adeo nouam condemnationem proponerent; illi vero tamquam infames relapsi ac foedifragi, a catholicis non audirentur, impius imperator assurgens: *Ego, inquit, Athanasii accusator sum, meo nomine illis credite.* Lucifero autem, Eusebio, Dionysio, aliisque Athanasii defensoribus magna audacia & libertate respondentibus, reum absentem ac non auditum iniuste damnari; concitator in Athanasium factus, edictoque promulgato Athanasium damnari, sede sua deiici & exturbari, eius defensores omnes relegari iubet: ac demum data Arianis potestate, quidvis in Athanasium pro arbitratu suo constituere permittit. Lata sententia ad subscribendum cōdemnationi sollicitantur omnes episcopi catholici. Plurimi, qui ipsius condemnatione bellum ecclesiae sopitum fore sperabant, obtemperantes subscripserunt, cumque Arianis communicarunt. Legati autem apostolici, Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis episcopus, ne condemnatione Athanasii fidem quoque Nicænam damnare viderentur, subscribere recusantes, post Hilarium diaconum virgis caesum, postque subscriptum nomen Dionysii, arte quadam & industria Eusebii, e tabella expunctum, omnes in longinquas & diuersas regiones relegati fuerunt. Post hæc notarii & palatini per prouincias emissi, episcopos omnes in ecclesiis suis commorantes ad parendum sententiae coegerunt; nisi facerent, vincula, contumelias, exilia, bonorumque omnium direptiones expectarent. His auditis Liberius pontifex epistolam encyclicam, quam supra VI. collocauimus, ad episcopos exules misit, qua gloriam illorum laudans, conqueritur

Athanasius
iniusto iu-
ris ordine
condemna-
tur.

Recusantes
subscribere
sententiae
condemna-
toriae rele-
gantur.
Omnes e-
piscopi sub
pena exilii
subscribere
re.

ANNO
CHRISTI
335.

ANNO
CHRISTI
335.

ANNO
CHRISTI
355.

se cum ipsis esse non posse. Cogitantes secum Ariani, se breui omnes superaturos, si in suam sententiam Liberium Romæ episcopum pertrahere possent, Constantium imperatorem ad eum allicendum & trahendum impellunt. Is igitur Eusebium spadonem præfectum cubiculi cum donis & literis ad eum mittit, vt per dona blandiendo, per literas minando, subscriptionem pontificis extorqueret. Quæ omnia, cum (donis & muneribus ab ipso pontifice contemptis) eunuchus frustra egisset, Leontius vrbi præfectus, metu populi amore Liberii flagrantis, medio noctis eum furtim abducere coactus fuit. Mediolanum cum venisset, Constantius post dialogum, quem infra posuimus, cum eodem habitum, eundem in exilium, quod præelegerat, in Thraciam deportari mandauit. Quos illi Constantius & imperatrix in sumptus exilii obtulerant, mille aureos, cum hac exprobratione remisit: *Tu ecclesias orbis terre expulsi & iam mihi vt damnato & egenti affers elemosynam? abi primum, & Christianus ipse fias.* In locum relegati pontificis, Felicem diaconum Liberii, catholicum schismaticum pontificem Ariani suffecerunt: cuius communionem, licet fidem Nicænam integre seruaret, vniuersus populus catholicus cum clero Romano vsque ad lapsum Liberii vitauit; vt pote quod schismaticus esset, ab Arianis intrusus, eorumque communionem pollutus. Eiecto in exilium Liberio papa, furorem suum Ariani conuertunt in Osum Cordubensem episcopum, gloria confessionis iam ante sexaginta annos illustrem, & tunc prope centenarium. Qui a Constantio euocatus, imperatorem magnis rationibus conterritum a sententia deduxit, atque ita in patriam & ecclesiam suam rediit. Rursum eum ad se accersit imperator, & cum ad subscriptionem in Athanasium impellere nequiret, pro exilio, integro anno illum Sirmii detinuit.

Liberius re-
legatur.Liberius
munera im-
peratoris
pernit.Osius ad
subscriben-
dum solici-
tatur.

His episcoporum relegationibus & exturbationibus imperator necdum contentus, impulsu Arianorum ad rectores prouinciarum scribit, vt omnes orthodoxos clericos & populos, qui Arianorum communionem detestabantur, ad communicandum cum illis impellerent. Quam vim impiam Hilarius ex coniugato recenter factus episcopus Pictauiensis, vitam deinceps cælibem agens, oblato libello supplici, qui inter eius opera & apud Baronium extat, deprecatur. Hoc eius petitioni in Gallia indulgendum esse censebat, ne Gallias, quas sciebat esse catholicas, ob inuasionem barbarorum nutantes a se alienaret. Hæc ex prædictis auctoribus, Baron. anno 355. per totum.

Omnes ca-
tholici per
vim ad cõ-
munionem
Arianorum
adiguntur.

° EPISTOLA SYNODICA.
 CONCILIVM MEDIOLANENSE
 EVSEBIO FRATRI IN DOMINO SALVTEM.

Extat in a-
 ctis vitæ S.
 Eusebii ex
 archiuo
 Vercellenfi
 edita.

NON ignorat carissima nobis dilectio tua, quam sit
 preciosum vinculum caritatis & pacis, domine
 carissime frater. Et quia hoc custodire nos, qui ecclesie
 catholice præsumus, diuina Domini præcepta docue-
 runt: ideo plenum sanctitatis & iusticie arbitrati sumus,
 vt carissimos coepiscopos nostros * Eustomium & Ger-
 minium, qui ad Concilium conuenimus, vt ad dilectio-
 nem tuam pergerent, mitteremus, & omnia patienter
 qua aguntur insinuarent, & patefacerent; vt nobis con-
 iuncta fides tua pariter atque concordia ea sequantur, &
 qua Deo & vnitati placeant, complectantur. Itaque sin-
 cerissima prudentia tua (quod specialiter & salubriter
 admonemus) audiat suprascriptos; & communicato pa-
 riter cum his consilio, definiat quod de nomine hæreti-
 corum Marcelli, & Photini, necnon & Athanasii sacri-
 legi, totus prope definiuit orbis: ne non tam veritati,
 quam * intentioni parere videaris. Multa in literis nos
 scribere non oportuit: eos enim ad te misimus, qui quod
 literis nunc necesse non fuit comprehendere, ipsi rectius
 prosequantur. Quod si alias, quam optamus, caritas
 putauerit esse faciendum; scito iuxta ecclesiasticam di-
 sciplinam id nos definituros, quod regula euangelica iu-
 bet: nec nobis postea imputabis, qui infinitam patien-
 tiam retinentes, fratres nostros memoratos, ad te vt ve-
 nirent, deprecati sumus.

N O T A.

* *Epistola.*] Ne mireris, lector amice, Athanasium hic sacrilegum
 nominari; scias, hanc epistolam ab Arianis nomine totius Concilii
 scriptam fuisse, eamque duos episcopos eiusdem factionis ad eum-
 dem pertulisse, qui eum cogere, vel saltem rogando inducerent,
 ne Synodo interesse dedignaretur.

EPISTOLA

ANNO
 CHRISTI
 335.

ANNO
 CHRISTI
 335.

* Eudo-
 xium

* con-
 tritioni

* specia-
 lem

ANNO CHRISTI 335.
EPISTOLA LEGATORVM
SEDIS APOSTOLICÆ AD EVSEBIVM,

Qua rogant eum, vt ad profligandam Arianorum
hæresin Synodo interesse non grauaretur.

*Domino honorificentissimo Eusebio episcopo, Lucifer episcopus,
Pancratius presbyter, & Hilarius.*

CALCATO capite diaboli & suggestionibus prauis, do-
mine sancte, gratiam tibi a Domino nostro conce-
sam, rogamus, noli negligere, sed vt quantocius inuadē-
te effugetur Arianorum dogma, iam accelerare dignare.
Scit enim Dominus & Christus eius, quia sicut in aduen-
tu beatissimorum apostolorum glorificatur Dei nomen
in ruina Simonis, ita Valente expulsō in aduentu tuo, dif-
foluta blasphemantium Arianorum machina penitus de-
struatur. Nos, domine sanctissime, a prima die qua Ver-
cellas venimus, religionem tuam vsque in hodiernum
cupimus, & Dominum rogamus, vt in hac ecclesia re-
stitutionem perpetuam laudent sancti omnes, tuamque
*specia-
lem
*spiritualem virtutem debita laude prosequantur. Quod
credimus peruenturum, quia passionem Saluatoris supe-
rari non posse confidimus. Christus Dominus te glorio-
sum conferuet, sanctissime ac beatissime.

Exstat ex ar-
chivo Ver-
cellensi edi-
ta in actis
vite S. Eu-
sebio.

EPISTOLA CONSTANTII
AD EVSEBIVM,

Qua eum ad communicandum cum Arianis ante eius
relegationem hortatur.

*Constantius victor ac triumphator semper Augustus,
Eusebio episcopo.*

METIRI facile posse, rei magnitudine commonen-
te, grauitatem tuam, omnibus ad meam diligen-
tiam pertinentibus præferre me coram religione super-
na, quod præcellit, & in meo animo præminere confido,
tamen id prudentiæ tuæ, documentis etiam frequenter
emissis, compertum, cum perspicias, id me agere nocti-
Concil. Tom. 3.

Habetur in
actis Euse-
bio.

bus ac diebus, quod ad venerabilem cultum proficere posse confido. Quid enim mihi gratius esse aut vtilius, quam Deo animum deuouisse: vsque adeo, vt huiusmodi studio facilitatem omnem sentiam esse obnoxiam? Itaque ecclesias venerabiles ex intimo mentis affectu semper intueor, earumque vnitatem omnibus salutarem cupio recuperare ac firmiter obtinere: ob quam causam Conuentum sanctorum episcoporum in Mediolanensi placuit fieri ciuitate, eos vel maxime qui alibi gesta possint facile *reuelare, in diuersis quippe prouincijs episcoporum sunt coacta Concilia. sed quid per singulos concordi vnanimitate decreuerunt prudentissimi episcopi, in Synodo Mediolanensi perspicue declaratum est. Denique venientes pauci de prouincijs singulis voluntate communi vnanimis protulerunt, & iuxta venerationem legi debitam firmauerunt. Quod ergo religioni * fuerat consentaneum, eorumdem placito corroboratum est; vt ad sanctitatem tuam quatuor de consortio suo censuerint esse mittendos, pariter commonentes se id sequi grauitatem tuam, quod ad vtilitatem ecclesiae non abhorret. Nos certe qui esse Dei famulos gloriamur, hortamur pariter ac moneamus, vt consensui fratrum tuorum adherere non differas. Confidimus quippe, cum hoc fuerit factum, vnitatem firmissima posse ecclesias gratulari. Deus te semper tueatur multos annos, frater carissime atque amantissime.

DIALOGVS CONSTANTII CVM LIBERIO MEDIOLANI HABITVS,

Quo eum ad condemnandum Athanasium inducere conatus fuit.

Imperator Constantius.

A notarijs
exceptus re-
citatur a
Theodoret.
lib. 2. c. 16.

Nos, quoniam Christianus es, & nostrae ciuitatis episcopus, idcirco duximus operae precium te accersere, hortarique vt communionem nefariae impii Athanasii dementiae repudies: nam hoc recte se habere censet totus terrarum orbis, & eum sententia Concilii ab ecclesiastica communione segregandum iudicauit. *Liberius episcopus*: Iudicia quidem ecclesiastica, o imperator, sum-

ANNO
CHRISTI
355

ma cum æquitate fieri debent. Quapropter si tua clementiæ ita visum sit, iudicium haberi iubeto. Et si Athanasius videatur damnationem commeruisse; tum sententia, prout ordinis ecclesiastici formula postulat, contra eum pronuntiabitur. Nam fieri non potest, vt quemquã condemnemus, de quo non factum sit iudicium. *Constantius*: Totus terrarum orbis non de eius impietate solum, verum etiam quod semper tempus ludere conatus est, sententiam tulit. *Liberius episcopus*: Qui eius damnationi subscripserunt, non res gestas oculis ipsi aspexerant: sed hoc est ab aliis factitatum, vel quod gloriam abs te assequi, vel quod metu percussi, vel denique quod infamiam extimescere viderentur. *Constantius*: Quid est, quæso, gloria, quid metus, quid infamia? *Liberius*: Qui gloriam Dei non amplexantur, sed tua munera ei prætulerunt, hi hominem absque iudicio condemnabant, quem nunquam oculis vidissent: quod est a Christianorum officio plane alienissimum. *Constantius*: Atqui in Concilio Tyri celebrato, de Athanasio, cum ipse præsto adesset, iudicium factum est, & omnes orbis terrarum episcopi, qui in eo Concilio aderant, eum condemnauerunt. *Liberius episcopus*: Nunquam sane de eo præfente iudicium exercebatur. Nam episcopi, qui conuenerant, illum tum condemnabant, cum e confesso egressus fuerat: & certe temere atque inconsulto condemnabant.

Hoc loco Eusebius eunuchus: Athanasius (inquit) alienus a fide catholica in Concilio Nicæno declaratus est. *Liberius*: Quinque tantummodo, qui cum eo vna nauigarant, in Mareote iudicium de eo fecerunt; quos quidem aduersarii eius eo miserant, vt contra eum reum factum commentarios contexerent: atque ex illis, qui missi erant, duo exierunt e vita, Theognis nimirum & Theodorus: reliqui tres, hoc est Manes, Valens, & Ursacius, etiamnum supersunt: de quibus ad eandem rem missis, in Concilio Sardicensi sententia de hac controuersia lata est: qui etiam in eodem Concilio libellos supplices dederunt, postulaueruntque veniam pro eo, quod commentarios vnius partis suffragiis per calumniam contra Athanasium in Mareote confecerant: quos libellos iam habemus in manibus. Vtris istorum, imperator, nobis credendum

Procax Eusebii calumnia & mendaciū portentosum.

Concil. Tom. 3.

Y ij

communicandumque est? Illisne, qui primo eos condemnarunt, secundo autem veniam petierunt; an his, quorum iam sunt condemnati sententiis?

Epictetus
episcopus
Arianus
quid in Li-
berium.

Hic tum Epictetus episcopus: Non fidei (inquit) causa, imperator, hodie, neque iudiciorum ecclesiasticorum faciendorum studio adductus Liberius hunc instituit sermonem; sed quo possit apud senatores Romanos gloriari, se rationibus imperatorem superasse. *Constantius*: Tantane orbis terrae pars, Liberi, in te residet, ut tu solus homini impio subsidio venire, & pacem orbis ac mundi totius dirimere audeas? *Liberius*: Esto quod ego solus sim: non tamen propterea causa fidei fit inferior. Nam olim tres solum erant reperti, qui regis mandato resisterent. Tunc Eusebius eunuchus: Tu (inquit) imperatorem facis alterum Nabuchodonosor? *Liberius*: Minime sane: sed non minus temere tu hominem condemnas, de quo nullum factum sit iudicium, quam ille olim. At ego æquum censeo, ut prius proponatur generalis episcoporum subscriptio, qua fides in Concilio Nicæno exposita confirmatur: deinde ut fratribus nostris ab exilio reuocatis, & ad suas ipsorum sedes restitutis; si isti, qui nunc tumultus cient, fidei apostolicæ assentiri comperiantur; tunc omnes contendamus Alexandriam, ubi reus, ubi accusatores, & causæ eorum patroni sunt: atque litigantium causa diligenter cognita, sententiam de ea pariter feramus.

Liberii ma-
gnanimitas.

Epictetus: At ad episcopos eo conuehentos equi, iumenta, & rheda, quibus cursus publicus confici solet, non satis erunt. *Liberius*: Negotia ecclesiastica publicam vecturam non desiderant: quandoquidem ecclesiæ episcopos suos a mari usque ad mare deducendi satis habent facultatum. *Constantius imperator*: Res de quibus constituta est formula, infringi nequeunt: siquidem plurium episcoporum rata debet esse sententia. Tu solus impii illius amicitiam complexaris. *Liberius*: Nunquam auditum est, imperator, reo absente, iudicem de impietate ac scelere sententiam pronuntiasse, quasi priuatum odium in hominem exercent. *Constantius*: Etsi omnes communiter, me tamen maiore quam ceteros affecit iniuria. nam non contentus est post fratris nostri maioris natu

ANNO
CHRISTI
355.

Constantini internecionem, sed beatæ memoriæ Constantem minorem natu fratrem nunquam cessauit ad inimicitias nobiscum suscipiendas incitare: quod sane factum fuisset, nisi nos æquiore animo & incitantis bilem tulissemus. Quare præclaram illam victoriam de Magnentio & Siluano partam non tanti facerem, quanti istius ab ecclesiasticarum rerum administratione abdicationem.

Liberius: Noli per episcopos tuas vlcisci inimicitias: nam virorum ecclesiasticorum manus sanctificationi vacare debent. Quapropter, si placet, iube episcopos ad proprias sedes restitui. Atque si videantur cum eo, qui etiam iam rectam veramque fidem in Nicæno Concilio expositam tuetur, consentire; tum in vnum conuenientes, paci orbis terræ prouideant: perficiantque vt non compertum sit aliquando, hominem, qui non deliquerit, damnatum esse. *Constantius*: Vnum est quod queritur: volo vt tu ecclesiarum communionem amplectaris, & deinde Romam redeas. Proinde consule paci, subscribe, vt Romam reuertaris. *Liberius*: Iam fratres, qui Romæ sunt, valere iussi. Nam leges ecclesiasticas obseruare, pluris faciendum censeo, quam Romæ habere domicilium. *Constantius*: Itaque trium dierum spatium tibi ad deliberandum concedimus, vtrum subscribere volueris, & ita Romam redire: an tecum constitueris, quem ad locum transferri placeat. *Liberius*: Spatium trium dierum, aut mensium, rationem non mutat: quare mitte me quo lubet. *Constantius*: Post biduum cum iudicium actum fuerit de Liberio, si consilium non mutet, exulet velim vsque Beroeam Thraciæ.

Detegit
Constantii
animi præ-
uium affec-
tum.

EPISTOLA OSII,

Quam secundo ad subscribendum sollicitatus, scripsit ad Constantium.

Osius Constantio imperatori S. P. D.

EGO confessionis munus expleui, primum cum persecutio moueretur ab auo tuo Maximiano. Quod si tu quoque persecutionem moues; etiam nunc ad quiduis

Exrat apud
Athanas. e-
pist. ad so-
litar. vitam
agent.

Y iij

potius sustinendum paratus sum, quam vt effundam innocentem sanguinem, & veritatem prodam. Teque nequaquam probo talia scribentem, & istiusmodi minas denuntiantem. Desinas igitur istiusmodi scribere, neque sentias cum Ario, neque audias orientales, neque Vrsacio & Valenti fidem habeas: quæ enim illi dicunt, non ob Athanasium, sed ob suam hæresin dicunt. Mihi crede, qui tuus auus ætate esse possem. Fuit ipse in Sardicensi Concilio, cum tu, tuusque frater B. Constans nos omnes eo conuocabat: ipseque vltro Athanasii inimicos prouocauit, cum ad ecclesiam, vbi ego commorabar, aduenissent, vt si quid contra eum haberent, ederent: promissique eis securitatem, neque quidquam aliud expectarent, quam rectum in omnibus iudicium; idque non semel, sed bis feci. Quod si nollent rem ab vniuersa Synodo disceptari; saltem me iudice vterentur: promissique etiam, nos Athanasium, si in noxa reperiretur, omnibus modis eiekturos esse. Quod si innocens deprehendatur, & vos ostenderit calumniatores, & æque illum recusaeritis: ego illi persuadebo, vt mecum in Hispanias veniat. Athanasius autem his conditionibus obtemperauit, nihil contra oblocutus: illi vero ad omnia æque diffidentes recesserunt.

Ofius defendit Athanasium.

Athanasius deinde tuis literis accersitus venit in castra tua, omnesque inimicos suos, qui Antiochiæ præsto erant, sigillatim accersiri iussit, vt aut redarguerent, aut redarguerentur, & aut se præsentem commonstrarent ea fecisse, quæ obiecerant; aut ne absentem calumniarentur. Sed ne te quidem hæc ipsis denuntiantem sustinuerunt, minime istiusmodi conditiones admittentes. Cur igitur nunc audis obtrectatores eius? Aut cur toleras Valentis & Vrsacii criminatores, pœnitentia & scripto confessos se calumniam fecisse? Confessi enim sunt suam sycophantiam, non vi adacti, vt ipsi causantur, cum nulli ibi milites incumberent, & tuus frater nesciret. Nihil enim tale sub ipso agebatur, qualia nunc fiunt: sed illi vltro Romam venerunt, & coram episcopo presbyterisque ibi præsentibus confessionem suam scripto ediderunt, cum prius pacatas literas & amicas ad Athanasium dedissent. Quod si iis libet vim causari, idque pro malo

ANNO
CHRISTI
335.

ANNO
CHRISTI
335.

ANNO
CHRISTI
355.

habent, nec a te probatur: omitte igitur & tu violentiam tuam, nec literas scribe, nec Comites mitte, sed relegatos exiliis libera: ne te de vi querente, maiorem vim illi sub tuo nomine exerceant. Quid enim tale a Constante actum est? aut quis ibi episcopus relegatus? aut quando iudiciis ecclesiasticis interfuit? aut quis ipsius palatinus vim adhibuit vt contra aliquem subscriptio fieret? vt idem Valens cum suis aliquid colligat, habeatque quod obiiciat.

Desine, quaeso, & memineris te mortalem esse; reformida diem iudicii; serua te in illam diem purum; ne te misceas ecclesiasticis, neque nobis hoc in genere praecipere, sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit; nobis quae sunt ecclesiae concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinae: ita & tu caue, ne, quae sunt ecclesiae, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. *Date* (scriptum est) *quae sunt Caesaris, Caesari; & quae sunt Dei Deo.* Neque enim fas est nobis, in terris imperium tenere: neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, imperator. Haec quidem ob curam tuae salutis scribo: & de iis quae in epistolis scribis, hanc meam sententiam accipe. Ego neque Arianis assideo, neque suffragor, sed eorum haeresin anathemate damno: neque in Athanasium accusationibus subscribo; quem nos, & Romana ecclesia, & vniuersa Synodus innocentem pronuntiauit. Nam & tu quoque cum rem cognitam perspetamque haberes, Athanasium accersuisti; fecisti que ei copiam, vt cum honore in patriam & in ecclesiam reuerteretur. Quae igitur causa est tantae huius mutationis, cum iidem inimici eius sint, qui antea fuerunt? & quae nunc susurrant, nihil eorum, cum ille praesens esset, hiscere audebant; sed ea, antequam accerseres Athanasium, obmurmurabant: quo tempore a me conuenti (quemadmodum superius dixi) vt ederent criminum documenta, nihil in medium adducere potuerunt: nam si quidquam potuissent, non ita turpiter aufugissent. Quis te igitur induxit, vt post tantum temporis, tuarum literarum & sermonum obliuisceris? Inhibeto, quaeso, neque aures praebes malis hominibus, neque ob mutuas iniuicem

Offi con-
stans & pia
admonitio.Math. 22.
Luc. 20.

cum illis gratificationes te ipsum reum facias. Quæ enim eis indulleris, de illis in iudicio solus cogeris causam reddere: isti suum inimicum per te satagunt iniuria afficere, teque volunt ministrum suæ malitiæ esse, vt per te detestabilem hæresim in ecclesia seminent. Non est prudentis, in gratiam alienæ libidinis seipsum in periculum certum conicere. Desine, quæso, & ausculta mihi, Constanti: hoc enim decet & me scribere, & te non vilipendere.

ANNO
CHRISTI
335.

CONCILIVM BITERRENSE
SVB LIBERIO PAPA.

ANNO
CHRISTI
336.

De quo Hilarius Pictauorum episcopus Saturnini Arelatensis dolo in exilium actus est, anno Christi cccclvi. Liberii papæ v. Constantii Aug. xx. in Gallia iv.

SYNODI *Biterrensis post Arelatensem meminit, vt dictum est, Sulpitius Seuerus. In hac cum hæresim Arianam ingerere pararet Saturninus episcopus Arelatensis, fidei periculum præuidens Hilarius, episcopis qui ad Synodum conuenerant, hæreseos cognitionem obtulit, vt cauerent, ingerendæque blasphemiae patronos denuntiauit. sed frustra, vt ipsemet narrat in libro aduersus Constantium: Quibus postea, inquit, Gallicanis nimirum episcopis, per factionem eorum pseudoapostolorum ad Biterrensem Synodum compulsis, cognitionem huius hæreseos obtuli. Sed hi timentes publicæ conscientiae, audire ingesta a me noluerunt: putantes se innocentiam suam Christo posse mentiri, si volentes nescirent quod gesturi postmodum essent scientes. Et in libro de Synodis. Mansit namque, atque etiam nunc permanet, post Synodi Biterrensis professionem, in qua patronos huius hæreseos ingerendæ quibusdam vobis testibus denuntiaueram, innocens, inuiolataque religio. Ea re commotus in Hilarium Saturninus, & quia is iam ante post Paulini, aliorumque exilium, a Saturnini & sociorum se communionem separauerat, aduersantem conatibus suis non ferens, egit, circumuento falsis Synodi nuntiis Constantio, vt Hilarius in exilium pelleretur. Quod Hilarius item ipse docet in eodem libro de Synodis: Vos compar-*
ticipes